



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XIV. Peccatoris malitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS XIV. PECCATORIS MALITIA.

§. I.

*Peccator injurius in Deum, inurbanus.*

*Ex Veteri.*

**V**ocem tuam audivi. Gen. 3. 10. Adam inurbanus. Similiter Eva Gen. 3. 13. *Serpens deceptit me.* Cain Gen. 4. 9. *Nescio; num custos fratris mei sum?* Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 10. sect. 4.

*Adam ubi es?* ib. Quid Adam? *vocem tuam & rimui.* Nota discrimen: Deus hominem vel culpā ignobilem compellat humanissime, & proprio vocabulō honorat: *Adam ubi es?* Adam ē pulvere ad summam repentē dignitatem euectus, Deo, non prēmiso titulō honoris, respondet: *audivi vocem tuam.* Advertit Lippomanus: aliter piissimus Pater, non durius alloquitur; sed vocat brevi verbō: *Adam ubi es?* Adam jam coram Domino peccator, sinē honoris præfatione, & cognomine, sinē dignō epithetō, Deum alloquitur. Naxera in Jof. 5. §. 25.

*Tactus dolore cordis intrinsecus.* Gen. 6. 6. Deus tritari dicitur super peccatoribus, quando eorum scelera averfat, atque punire destinat. Cornelius in II. 9. 17. Hinc Apostolus ait Eph. 4. 30.  *nolite contristare Spiritum sanctum.*

*Pœnitet me fecisse eos.* Gen. 6. 7. Si tristis agricola ingemiscat, caput fricat, & dicat: *utinam meum semen postem recipere!* pœnitet me, quōd vel unicum granulum huic agro infeminaverim! expectati fœnoris nihil recipio. Hæc pœnitudo fatis ostendit, agrum sterilem votis non respondere; aut certē jam stantem, lætamque segetem grandine jugulatam. Deus hunc Mundum velut agrum conlevit: cœperunt *homines multiplicari super terram.* Cum autem expectaretur messis; ager hic urticis, & spinis, obstitit solam vitiorum ubertatem exhibuit. Hic mœtus agricola negatis fructibus ingemiscens: *pœnitet me,* inquit, & jacti feminis, & operæ consumptæ in sterilissimum hunc agrum. Drexelius Opusc. 6. Noe. c. 4.

*Filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum.* 1. Reg. 2. 12. Duplex Dei noticia, practica, & speculativa. Priori caruerunt: nam, ut Orig. ait hom. 1. in lib. Judic. erant nescientes Dominum; non quōd ignorarent Dominum, qui utique & Doctores erant caterorum: sed quia sic agebant, ut agunt illi, qui nesciunt Dominum. Of. 4. 1. *non est scientia Dei in terra.* Chald: *non sunt, qui ambulant in timore Dei, in terra.* Mendoza in 1. Reg. 2.

*Contra omnipotentem roboratus est.* Job.

15. 25. Scelerati odere divinam potentiam. Agnoscite Dei potentiam cum timore, & tremore; & unā summam peccatoris temeritatem; qui audeat se Deo opponere. Segneri 5. die Luna D. 1. Quadr.

*Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum.* Pl. 49. 22. O negligentia non ferenda! oblivisci Deum, qui animam dedit, carne palcat, & Fideles ab omni adversitate custodit. Amentia est certē; illius memoriā carere, quom præsentem semper constat existere. Sed qui obliviscuntur Deum? nisi qui præcepta ipsius iniquā præsumptione contemnunt. Cassiodorus hic.

*Servire me fecisti in peccatis tuis.* II. 43. 24. Peccator quasi cogit Deum servire, id est, obsequi, & concursu suo generali cooperari suis concupiscentijs, & peccatis. Rursum laborat, & quasi servit, Deus in tot, tantisque hominum peccatis, tum sufferendis, tum corrigendis: multi enim peccatis suis patientiam Dei quotidie fatigant. Cornelius Hierogl. hic. *Servire me fecisti &c.* id est, non ego te mihi in victimis servire feci; sed tu me servire fecisti: hoc est, peccatis tuis me gravasti, molestiā affectisti; & quasi servus tuus essem, aut mancipium, onerasti. Id. hic.

*Vos estis onus Domini.* Jer. 23. 33. Addit Lyran. onus importabile, propter peccatorum vestrorum pondus. Quid proinde dicit Dominus? *projiciam quippe vos;* projiciam vos sicut importabile onus. Did. Nils. fer. 2. D. 2. Quadr. §. 4.

*Vade, sume tibi uxorem fornicationum.* Of. 1. 2. Recedere à Creatore, & servire creaturæ, fornicari est. Pl. 72. 27. *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* S. Rupertus de oper. Spir. S. hic. Perversa est dilectio animæ fornicantis à Deo, diligentis rem Dei, neglectō Deo. Id. in Of. 9.

*Ex Novo, & Patribus.*

*Stans retro.* Luc. 7. 38. *secus pedes ejus.* sequelam præmittens vestigiorum ejus; quæ per leges peccati antecesserat leges ejus. Præit omnis peccator Deum in suis legibus, non sequitur. Sim. Cas. l. 8. c. 40. hic.

*Incidit in latrones.* Luc. 10. 30. Latro dicitur, qui aufert invito dominō alienum. Hoc omnis peccator facit, pro eo, quōd, jure creationis, omnis homo, velut omnis creatura alia, est Dei. Peccantes omnipotenti Deo, nos ipsos latrociamur, atque furamur. Nec non jure redemptionis, factæ per sanguinem, sibi vendicat nos Salvator, ut vita nostra referatur ad eum. Cū igitur peccando ab ipso avertimur, ad creaturam convertimur; quid aliud facimus, quàm nos ipsos, more latrorum, rapimus ipsō invito. Sim. Cas. l. 8. c. 30.

Quid

Quid magis impium? quid magis potest esse injuriosum? quam contra tantæ pietatis Dominum; & eum, qui vivit in æternum, illud improbè committere; quod, quantum in te est, non possis in æternum corrigere. Richardus à S. Vict. tr. de pot. lig. &c. c. 4.

Peccasti, hoc est, avertisti te à Deo summo, unico, & infinito, Bono. Aversio autem ab omni bono, necessariò summum unicum, atque infinitum, est malum. Aversio ab omni dignitate, summa abjectio est; ab omni pulchritudine, summa deformitas; ab omni sapientia, summa insipientia; ab omni bonitate, summa est malitia. Conjunge omnes injurias, & contumelias, quæ ab universis creaturis per mille sæcula tibi possent inferri; easque singulatim, & universim gravissimas; nec umbram quidem ad hanc, quam Deo tuo intulisti, adferes. Masenius Dux viæ die 2. med. 2. puncto 1.

## §. II.

## Peccator blasphematur nomen Dei.

**N**omen Dei per vos blasphematur in Gentibus. Rom. 2. Petimus, ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis: nobis enim bene agentibus benedicatur nomen Dei; nobis malè agentibus, blasphematur. S. Chrysol. l. 71.

Nullum penitus majoris piaculi crimen est, quam blasphemandi causam gentibus dare. Salvianus l. 4. de Prov. Dei.

Ego puto, quòd non solum ille maledicat Christo, qui sermonem adversus eum maledicum profert; sed & ille, qui sub nomine Christiani malè agit, & turpiter conversatur, & inhonestis verbis, vel actibus suis, facit nomen ejus blasphemari inter Gentes. Orig. hom. 17. in Num. 23.

## §. III.

## Peccator negat Deum.

**A**ominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ps. 52. 2. id est, voluntatibus suis; dicunt in corde suo, non est Deus. v. 1. Ille in corde suo negat Deum: nam, si verè in Deum crederet, nullà in eum pravitatè peccaret. Cassiodorus hic.

Constituentur, se nosse Deum; factum autem negant. Tit. 1. 16. S. Hieron. existimant quidam, in eò tantum Deum negari, si in persecutione quis à Gentilibus comprehensus, se renuerit esse Christianum. Sed ecce Apostolus omnibus, quæ perversa sunt, factis Deum asserit negari. Christus sapientia est, justitia, veritas, sanctitas, fortitudo: negatur per insipientiam sapientia, per iniquitatem justitia, per mendacium veritas, per turpitudinem sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et, quoties vincimur in vitijs, atque peccatis, toties Deum negamus. Escobar t. 2. Perf. Chr. l. 1. sect. 1. obl. 5.

## §. IV.

## Peccator spernit Deum.

**F**ac nobis deos, qui nos precedant. Ex. 32.

1. Dominus autem precedebat eos ad ostendendam viam &c. Ex. 13. 21. Aberat Moyses in Sinai, diu cum Domino versatus; populus Aaronem urget, Deum sibi consilari. Si Dominus præcedit eos, quid dicere opus? fac nobis &c. sequantur Dominum in columna præcedentem. Petunt vitulum, qui ad illorum ducatur nutum; non qui ad proprium placitum eos ducat &c. Naxera in Jos. 24. §. 5.

Violabant me, propter pugillum hordei, & fragmen panis. Ezech. 13. 19. q. d. Audi cælum, & terra! ecce ille populus meus tam dilectus, tot eximijs à me favoribus auctus; acerbissimis in me sævit injurijs. Et ob quæ sua emolumenta? an forsan victi exercitus immensa spolia sibi rapuit, ut Saul 1. Reg. 15. an civis innocui vineam? 3. Reg. 21. 2. ut Achab? an forte aurum, ut Giezi 4. Reg. 6. 23. Ob quod ergo commodum me offendit? propter pugillum hordei. Segneri l. 33. die Ven. D. Pass.

Regnum promittit Deus, & contemnitur; gehennam apparat diabolus, & honoratur. S. Chrysol. hom. 6. in acta.

Quid sibi vult dictum illud Apostoli? Rom. 2. 23. per prævaricationem legis Deum inhonoras. 2. quemadmodum, qui regis literas accipit, & in ijs versatur; si omni curâ, honore, atque timore, & studio, eas suscipiat, reveretur, & complectatur; & expeditè sibi præscripta, atque mandata, expleverit; in regem gloria, & honor, redundat: quòd si rejecerit, atque contempserit literas; & tabellarium contumelijs, & ignominia affecterit; in regem ipsum contumelia vergit. Ad eundem modum violantes Scripta magni Regis, immaculatum videlicet ipsius Evangelium, suâ ipsi transgressione præcipientem Christum contemnunt. S. Ephrem lib. Interrogat. q. 2.

Si nos, qui homunculi imbecilli sumus, contemni tamen à servis nostris omnino nolumus; quos, etsi nobis servitutis conditio infirmiores, humana tamen fors reddit æquales: quàm iniquè cœlestem Dominum contemnimus! Salvianus l. 3. de Prov. Dei.

Omnia amamus, omnia colimus; solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est. Denique, præter alia, quæ id probant, indicat etiam hoc res ipsa, quam dico. Si quando enim usu venerit, quod scilicet sæpe evenit; ut eodem die, & festivitas Ecclesiastica, & ludi publici, agantur: quæro ab omnium conscientia; quis locus majores Christianorum virorum copias habeat? caveane ludi publici, an atrium templi? & templum omnes magis sectentur, an theatrum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba mimi? Non est dubium, quin illud magis amemus, quòd anteponimus. Salvian. ib. l. 6.

Christus sub horribili specie ostendens Brigittæ deformitatem ejusdam peccatoris, inter reliqua

reliqua ait: habet caninas aures. Nam sicut canis neque nomen Domini sui, neque alterius, tantum curat; quantum nomen suum proprium, si hoc nominari audierit: ita etiam iste, non tantum curavit de honore nominis Dei, quantum de honore nominis proprii. Revel. 5. Brig. l. 4. c. 52.

§. V.

**Peccator impudenter presente Deo peccat.**

**C**orrupta est autem terra coram Deo. Gen. 6. 11. Coram Deo hunc habet sensum: tam procaciter, & impudenter, peccabant homines; ut nihil vererentur oculos Dei cuncta videntis: Quin imò scientes, Deum purum, & iustum, & vindicem; nihilominus gravissimis illum afficiebant injurijs, & blasphemijs. Coram Deo, ut vult Abul; id est, publice, quasi in conspectu Dei, coeli, & terræ. Peccabant enim sine ullò, aut timore, aut pudore: quæ duo à natura homini data sunt; nè in vitiorum prærupta temerariò aulù rapiatur. Fernandus hic. sect. 6. Peccare, seu corrumpi, in oculis Dei, nihil aliud esse puto, quam memorem Dei, ipsum offendere. Omnia enim vident oculi ejus; sed nos peccantes non semper illius memores sumus. Sperat autem ipse, quòd nemo ejus memor possit peccare: cum enim meminerit plasmatoris benefici, & Redemptoris munifici; quomodo non ratiocinabatur, nè eum offendat? Oleaster hic apud Ramirez in ep. 3. Apoc. 2.

**Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Deo nimis.** Gen. 13. 13. Fuit quoque Her primogenitus Judæ nequam in conspectu Domini. Gen. 38. 7. Feceruntq; filij Israel malum in conspectu Domini. Judic. 2. 11. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? 2. Reg. 12. 9. Hæc summa est improbitas; peccare per summam impudentiam; nec videntem, æquè ac reprobantem, vereri Deum. Hæc impudentià peccasse se dolet David, illud ingeminans: *malum coram te feci.* Pl. 50. 6. S. Chrysol. f. 1. Sensit David, quantum sit sceleris; mali quantum, in ipso peccare Dei conspectu: ideo clamat, & *malum coram te feci!* Unde & adolescentior Luc. 15. 21. similiter vociferatur: *peccavi in calum, & coram te.* Velloso in Judith. 5. 21. Paræn. 43.

**Et malum coram te feci.** Pl. 50. 6. Quia illum ubique esse noverat, jure, coram ipso malum fecisse, deplorabat: arguens demeritiam suam; qui non expavit tantò giudice presente peccare. Cassiodorus hic. Exaggerat culpæ gravitatem: quia si in quemvis alium regem delinquere presentem offensam aggravat; insolentissima in verecundia est, coram supra mailla majestatem impudenter agere. Orig. hom. 11. in Exod. *Tibi soli peccavi!* Quid ergo plus habet, qui *malum coram te* facit? illud profectò, quòd continud penitet; & dicit, *peccavi.* Did. Nifs. Vit. Abr. l. 6. c. 2.

**Erant filij Israel, & filij Judæ, jugiter facientes malum in oculis meis.** Jer. 32. 30. **Faciet omnes - liberos, & servos, habebit Polyanth, Sacra, Tom. II.**

**re characterem.** Apoc. 13. 16. *in frontibus suis*, scilicet characterem bestiarum. Nota sanè improbitas, quam effrontes peccatores ostendunt ipsò vultu: ut scelera patrent publicè, rectè gerunt characterem bestiarum. Non tulit Deus impudentiam Ozia 2. Paral. 26. 16. &c. in Dei oculis peccantis, *statimque orta est lepra in fronte ejus.* v. 19. S. Chrysol. hom. 3. in If. immisit illi Deus lepram in frontem, hóc modò impudentem faciem puniens. Velloso in Judith 5. Paræn. 44.

§. VI.

**Peccator injurius est in Christum.**

Num. 1.

**Spernit Christum.**

**N**olumus hunc regnare super nos. Luc. 19. 14. Perversi, & fallaces, etiam Christiani, terrenis rebus illecti, hujus vitæ labentis æternitatibus delectati; nolunt regi à Crucifixo Rege: nè motus carnis cruci poenitentis affigat; & cruce paupertatis divitias tollat, & auferat honores patibulo vilitatis, & cogat patienter omnia mala ferre, usque ad ignominiam mortis. Sim. Cas. l. 6. c. 29.

**Nos Moysi Discipuli sumus.** Joan. 9. 28. Eligunt Moysen in Magistrum, abjiciuntque Christum. Id. l. 6. c. 33.

**Cum jam Diabolus misisset in cor.** Joan. 13. 2. Dæmon ad cor Judæ nuntium misit: quasi dedignatus fuerit Sathan adire ipse per se animam proditoris. Christus verò ipse adivit, & ad pedes ejus se abiecit, & mille benevolentia significationibus illum à scelerato proposito avocabat, & ad se invitabat. Dæmon verò solò nuntio, quem submisit, tantum apud Judam promovit ut in flagitiosissimum, & atrocissimum scelus illum impelleret. Christus verò sperus, licet coram adisset. Did. Nifs. D. 2. Pent. §. 5.

Veteres, quod est apud Pierium Valer. ut hominem exprimerent, qui pro exigua re magnam reliquisset, quam arctissime tenuerat; polypum pingebant, cui dulcis aquæ guttula affundebatur, cum lemmate: *Discessio subita.* S. Greg. Naz. si quis polypum de cubitibus trahere per vim velit; aut è petris aliquid evellet, aut certè è carne ipsius petris affixum aliquid relinquet. At aqua dulci superfusâ protinus resilit; obliviscitur petra, cui tam validè adhæsit. Sic multi *Petra* Christo 1. Cor. 10. 4. arctò amoris nexu obstricti, qui protelantur, malle se mortem potius millies oppetere, quam illius amicitiam violare; ad unum tamen fortuitum mulierculæ occursum, & aspectum, sic emolliri, & dissolvi, ut resiliant ab illa petra. Did. Nifs. D. 3. Pasch. §. 5.

Num. 2.

**Peccator contristat, affligit Christum.**

**Ego autem sum vermis, & non homo.** Pl. 21. 7. Non comparat se ulli animalium magnorum, & pulchrorum, quæ sunt in ter-

Ccc

ra:

ra: quæ cum homo occidit, videtur pietate commotus eorum mortem dolore. Vermem verò ita pedibus conteritis, ac sine dolore interficitis, ac si nihil faceretur; præsertim si noxius est. Sic à multis hodieque Christus offenditur, quasi impotens vermibus se vindicare; quasi nobis noceret &c. Diez s. de Pass. Dom.

*Retribuunt mihi mala pro bonis sterilitatem anima mea.* Ps. 34. 12. q. d. faciunt ut anima mea, quam pro eis dedi, sterilis sit, quantum ad eos: afferret enim eis fructum vitæ æternæ, si vellent. Hugo Card. hic.

*Fatigatus ex itinere.* Joan. 4. 6. Jesus fatigatur tripliciter: onere, clamore, & itinere. Onere peccatorum nostrorum, portando, & expectando. Il. 1. 14. *laboravi sustinens.* & Il. 46. 3. *qui portamini è meo utero.* Item fatigatur clamore, nos revocando: *reverte-re, revertere.* Cant. 6. 12. *Laboravi clamans.* Ps. 68. 4. Prov. 1. 24. *vocavi & renuistis.* Item fatigatur ex itinere: quia multas, & longas, vias vadit, ut nos inveniat, & ad se convertat. Hugo Card. hic.

Salvator meus lætari non potest, donec ego in iniquitate permaneo. Quare non potest? quia est advocatus pro peccatis nostris ad Patrem. 1. Joan. 2. 1. Quomodo ergo potest ille, qui advocatus est pro peccatis meis, bibere vinum lætitiæ, quem ego peccando contristo? quomodo potest ille, qui accedit ad altare, ut repropriet me peccatorem, esse in lætitiâ, ad quem peccatorum meorum mœror semper ascendit? Est ergo tamdiu in mœrore, quamdiu nos persistimus in iniquitate. S. Cyrill. Alex. l. 7. in Levit. apud Mendoza in 1. Reg. 11. 4.

Cur hostem in patriam revocamus, quem Christus tantò sudore relegavit? Tantis lacrymis, doloribus &c. infirmitatibus nostræ extinctæ sunt; cur illas renasci patimur? Stella in Luc. 2. 21.

Num. 3.

### Peccator renovat Passionem Christi.

#### Ex Veteri.

*Ego sum Joseph.* Gen. 45. 4. id est, ejusdem naturæ vobiscum, quem vendidistis pro modica delectatione peccati. Quoties peccas mortaliter toties vendis Christum. Sed sicut delectatione peccati venditur, sic contritione redimitur. Hugo Card. hic. Joseph Christum significat, cui fratres sunt Christiani. Hi toties Christum vendunt, quoties ipsum pro aliquo temporali relinquunt. Joseph autem suos venditores osculatur fiendo, quando Christus suis peccatoribus reconciliatur plurimum miserando. S. Bonaventura f. 4. D. 5. Pent. O quam parvi te facimus Domine! pro argenteo nummo, pro momento delectationis, pro modica voluptate oblata à demone, facile te tradimus. Accusamus Judam; & idem facinus committimus quotidie. S. Thom. Vill. conc. de Purif. B. V.

*Quando inventum fuerit in terra hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus; egredientur majores natu ad interfe-*

*ctum, & dicent: manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine; & nè reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.* Deut. 21. 1. 7. 8. Videre in monte Calvaria pendens de cruce exanime corpus. Quis tam crudeliter occidit? Si estis innocentes, & innocui, à sanguine justis hujus, dicite: *manus nostræ non effuderunt sanguinem, oculi nostri non viderunt quis flagellârit &c. Vox sanguinis fratris tui clamat.* Gen. 4. 10. Sententiam fert æternus Pater in peccatores: illi sunt rei mortis Christi. Il. 53. 8. *propter scelus populi mei percussi eum.* S. Hieron. ex Græco legit: *ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* In certò Auth. A nobis, qui eramus longè, sed facti sumus propè, auferatur reatus sanguinis; & alieni sumus ab innocentis cruore, qui solus est (dicereque possumus: *manus nostræ non effuderunt hunc sanguinem*) cum fecerimus, quòd præcepit Dominus. Ceterum non faciendo hoc, & non credendo in eum, qui occisus est; eis, qui occiderunt, consentiremus: atque idcirco sanguis ejus justè à nobis exigeretur. S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. c. 7.

*Conculcaverunt me inimici mei totâ die,* Ps. 55. 3. *Quanto magis putatis - qui Filium Dei conculcaverit.* Hebr. 10. 29.

*Dederunt in escam meam fel &c.* Ps. 68. 22. Datum est ei fel in escam, & acetum in potum: fel peccati amaritudo, obstinatio acetum. Belarminus de 7. verbis l. 2. c. 9. Probabile est, escam istam fellis intelligendam spiritualiter; ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum, quæ Christo in Passione jejunanti loco cibi ingesta est. Id. hic.

*Repleta est malis anima mea.* Ps. 87. 4. Malis, ait S. Hieron. hic, populi pereuntis s. q. d. Christus, quod vidit Isaias, id describit: ego id ploro, quod sentio. Ille luger mea vulnera; ego peccata Mundi. Utinam possemus oculis pervidere plagas occultas, quas molestiores Judæis ei intulerunt culpæ innumeræ. S. August. s. 67. de templ. cur me graviora criminum cruce, quàm illa, in qua perpenderam, affixisti? gravior enim apud me peccatorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in qua tui miseratus, mortem tuam occisurus, ascendi, apud Oliva t. 1. conc. 21. de Pass. Dom.

*Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Ps. 128. 3. Nónne satis pro te vulneratus sum? nónne satis pro iniquitate tua afflictus sum? cur addis afflictionem afflictò? Magis aggravant me vulnera peccati tui, quàm vulnera corporis mei. S. Bernardus ser. 2. Pasch.

#### Ex Novo.

*Dormite jam, & requiescite.* Matth. 26. 45. Amor tuus, & iniquitas nostra, sic te imbecillum fecerunt. Maledicta sit tanta iniquitas, pro qua tantum affligeris. S. Bonaventura Medit. Vit. Chr. c. 75.

*Clamabant dicentes: crucifigatur.* Matth. 27. 23. Jesum crucifigis, quandocunque mortaliter peccas. Hugo Card. hic.

Dede-

*Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Matth. 27. 34. Porrigitur acetum malitiæ, quia vinum sapientiæ, quod à Christo acceperant, peccando perdiderunt. Potatur acerbitate malorum nostrorum, daturus dulcedinem bonorum suorum. Sed & nunc quotidie, quando peccatis, contristatur, exacerbatur: aceti quodammodo illi potus, & cibus fellis, ingeritur. S. Cælius Arel. hom. 6.

*Collegerunt concilium.* Joan. 11. 47. Quando potentia inferiores animæ cum superioribus deliberant de vita Christi, plerumque is morti addicitur. Christum, quantum in se est, rursus in crucem agit, & omnia ejus vulnera renovat; qui illum mortaliter offendit. Hebr. 6. 6. *rursum crucifigentes sibi metipsum Filium Dei, & ostentui habentes.* Drogo Ost. de Pals. Dom. in domo Caiphæ colaphizatus est Petrus. Quoties verò negavit Petrus, toties suum colaphum accepit Christus. Illa verò innovatio Passionis Domini fit, quando potentia inferiores animæ cum superioribus ad deliberandum conveniunt. Tentat dæmon Christianum quempiam; proponit illi voluptatem, quam percipiet, dum illi tentationi obsecundat. Ergo ad consilium coeunt potentia inferiores, ac superiores; & inquirunt, an sit bonum facere, quod dæmon vellet fieri? quod idem est, ac deliberare, an Christus crucifigendus? an non? Potentia superiores negant expedit; eò quòd fatius sit, carere aliquà oblectatione temporali, quam mortem æternam incurrere, aut rursus crucifigere Christum. Potentia inferiores, quæ voluptatis tantum suæ rationem habent, sic pronuntiant: *expedit, ut unus homo moriatur.* Gal. 1. 16. *continuo non acquievi carni, & sanguini.* Syr. *non patefeci carni, & sanguini.* non aperui illi consilia mea. Oecumenius vertit: *non consului carnem, & sanguinem.* Did. Nils. ser. 6. D. 5. Quadr. §. 7.

*Nos legem habemus; & secundum legem debet mori.* Joan. 19. 7. Nam lex concupiscentiæ judicat eum mori in carne, lex avaritiæ in corde, lex superbiæ in mente. S. Antonius de Pad. l. 3. in Quadr.

*Inclinatò capite.* Joan. 19. 30. Inclinauit in cruce caput, ut ostenderet gravitatem: consuevit enim homo præ nimio onere aggravatus suum inclinare caput. Sic Christus, aggravatus pondere peccatorum nostrorum, inclinavit caput. Unde 1. Petri 2. *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* S. Bernardinus t. 2. l. 56.

#### Ex Patribus, & alijs.

Cavendum est, & vigilandum; nè, dum incusamus Judæos, eadem, quæ illi, faciamus adversus Dominum. Multi siquidem adorantes Dominum, sed vitam illò indignam viventes, non animadvertunt, se reos esse mortis Servatoris. *Quicumque enim comederit panem, aut biberit calicem Domini, indigne; reus est corporis, & sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. 27. Qui negligit pauperem,

*Poljanth, Sacr. Tom. II.*

rem, esurientem, sitientem, aut nudum; similis est Judæis, qui Dominum exuerunt; quique illi in potum dederunt acetum, & fel. Itè qui accipit munera adversus innocentes, non differt ab eo, qui vendidit Dominum; videlicet Judæ. Nam & hic justitiam, quæ est Christus, vendit; quemadmodum ille vendidit Dominum. Et, qui non judicat pro orphano, neque jus reddit viduæ; idem est cum his, qui struxerunt insidias Domino; quique falsò criminati sunt eum. S. Athanas. Alex. l. de Cruce, & Pals. D. N. J. C.

Proh dolor! Ambitur sacrum caput aculeis spinarum; & divinum verticem pœnalis coronæ pompa circumdat. Sed in spinis illis nostra eum peccata pungebant. S. Chrysof. l. 3. de proditore, & myster. cœnæ Dom.

Peccator, quantum in se est, dat occasionem; ut iterum Christus crucifigatur: & sic contumelia fit Christo. S. Thom. Aqu. in ep. ad Hebr. c. 6.

Peccatum est quodammodo occisio Dei. Ex quo sequitur, quòd, quantum ex se, culpa mortalis occidendo Deum, aufert esse omnibus creaturis: naturæ humanæ aufert esse, & gratiam; naturæ beatæ aufert esse, & gloriam; Humanitati Christi aufert esse, gratiam, gloriam, & Deitatem. S. Bernardinus t. 2. l. 12.

#### §. VII.

#### Peccator est idololatra.

Quod dixit: *gratias ago Deo meo.* Rom. 1. 8. non est otiose accipiendum: non enim vox ista potest esse, nisi sanctorum, quorum Deus dicitur; (sicut Deus Abraham, vel Isaac, vel Jacob) Non potest Dominum Deum suum dicere is, cujus Deus venter est; aut cui avaritia Deus est; aut cui gloria sæculi, & pompa Mundi; aut potentia rerum caducarum, Deus est: quidquid enim unusquisque super cætera colit, hoc illi Deus est. Orig. hic lib. 1.

Quæ quisque pulcherrima animadverterat, ea sibi, tanquam deos, præstituit. Si qui autem affectionibus, & morbis animi, plus æquò dediti erant; has ipsas, sive perturbaciones, sive morbos, deos esse putarunt; vel dijs saltem eos consecrarunt: iracundiam scilicet, cædes, lasciviam, ebrietatem &c. S. Gregor. Naz. or. 2. de recta ratione disserendi de Deo.

Omne lethale peccatum ad spiritualem idololatriam pertinet; dum spretò Deo, quem unum finem nobis statuere debemus, aliud quidpiam, quod satis appetitionibus nostris faciat, ipsius Dei amoris antepositur. Nam qui, in gratiam uxoris, Deum offendit; Deum abnegavit, & uxorem pro Deo coluit: qui in gratiam regis, & principis, spoliat pupillos, ac viduas, aut aliud patrat scelus; principem pro Deo veneratur. Isid. Clarius l. 1. or. 27.

Sicut bonus unum habet Deum, quem colit; ita mali multos habent Deos, & idola; quia multas scilicet voluptates, multa desideria vana, passiones diversas, quibus serviunt. Idiota in Ps. 15.

Ccc 2

§. VIII.

## §. VII.

## Peccator impudens arguitur.

*Nescio num custos fratris mei sum?* Gen. 4. 9. Quam impudens Cain! exola nimis Deo delinquentis pervicacia, aut impudentia. Arcones in l. 3. 9. Dil. 4.

*Statimque orta est lepra in fronte ejus.* 2. Paral. 26. 19. Regem Oziam, ad facilegium impudentem, & effraenem, nullâ persuasione potuit Sacerdos Azarias coercere: hinc à Deo punitur in fronte, à qua verecundiam abraferat. Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

*Neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Job. 16. 19. Non omnis iniquitas clamor dicitur; sed magna, professa, publica. Nam cum adhuc quodammodo verecundatur, atque cunctatur; & vel timore, vel pudore, reprimitur; nondum dicitur clamor. Cum verò, ingentis cupiditatis impetu, omnia præceptorum, & legum, monumenta rumpuntur; & male concepta secreta, evictis omnibus reprehensionibus, atque terroribus, in impudentissimos atque audacissimos mores, tanquam in diluvium consuetudinis confluunt; jam clamor vocatur. V. Beda hic.

*Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisse erubescere.* Jer. 3. 3. Sæpe quidem damnati homines in tantam impudentiam veniunt, ut neque propter Deum omnium inspectorem, quem latere nihil potest; nec propter Angelum nostræ custodiæ deputatum, intus in conscientia; nec propter homines exterius, pudeat detestanda mala committere. Sim. Casl. l. 5. c. 16.

*Abominationem fecerunt, - confusione non sunt confusi.* Jer. 6. 15. Cum nulla amplius in peccatore tristitia, aut verecundiæ, indicia, sed potius interturbata animi quies, & lætitia deprehenditur; tum sanè audacter dicite, & credite; illum mali summam attigisse. Segneri l. 12. die Martis D. 2. Quadr.

*Vestimentò non induebatur.* Luc. 8. 27. Hanc nuditatem, agitatione demonis factam, illam impudentiam dixerim, quâ homo peccare non erubescit. Sim. Casl. l. 5. c. 16. Quid autem est, non indui vestimentò? nisi non frenari pudore, spoliari decore naturæ, nudari gratiâ, exui honore inditæ rationis, similem bestiis fieri; quæ agent omnia sine rubore. Id. ib.

*Et nummularios sedentes &c.* Joan. 2. 14. Hæc est, quod supra modum offendit, & irritat Dominum; quod illum quispiam sedens, hoc est, velut per quietem, & ex otio, ostendat; tam impudenter provocet, audacterque leges ejus violat; nec quidquam curet, quantumcunque flagitia patret. Qui velut ad ostentationem peccat; & ibi turpius provocat, ubi colore reverentius debebat. S. Chrysof. hom. 8. ad pop. cum Deus provocetur, nos oscitamus, & relabimur, & gaudemus: peccare enim, & peccantes non dolere, magis eum indignari facit, & succensere. Pl. 72. 8. cogitaverunt,

*& locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelsò locuti sunt.* Author incogn. vult, posse hunc psalmum intelligi de Christo; qui ex ore Davidis dicat aeterno Patri: quosdam peccatores designasse animo improbitatem; neque hoc contentos, etiam, per summam inverecondiam, palam prolocutos, quod turpiter conceperunt; & quidem malitiam suam in excelsò proclamasse. S. Augustin. non solum locuti sunt iniquitatem; sed etiam clarè audientibus: ego facio, ego ostendo. q. d. non tam de his sanctus Propheta conqueritur, qui peccatore condunt malitiam; quam de ijs, qui abjectò omnî pudore impudentem, audacter, & pervicaciter, in medium forum producunt, & passim evulgant sua crimina.

*Balthasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, - præcepit ut afferrentur vasa aurea.* &c. Dan. 5. 1. 2. Querit Hieron. cur Deus non puniverit Nabuchodonosorem, quod sacra vasa è templo abstulerit; sicut Balthasarem ejus filium multavit, quod ex eis biberit? Discrimen dat S. Hieron. ex sacro textu: *asportavit ea in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri sui.* Dan. 1. 2. Addit Hieron. quamdiu vasa fuerunt in idolio Babylonis, non est iratus Dominus: videbantur enim rem Dei, secundum pravam quidem opinionem, tamen divino cultui consecrassè. At Balthasaris facinus morte vindicavit; qui inde cum optimatibus, & concubinis suis, bibens ea palam profanavit impudenter, & insolenter. Pl. 101. 7. in persona peccatoris: *similis factus sum pellicano solitudinis; factus sum sicut nycticorax in domicilio.* S. Gregor in Pl. 5. pœnit. pellicanus venenatis animalibus vescitur: & ideo per eum peccator designatur, qui venenò delectatur diabolica persuasionis. *Factus sum sicut nycticorax,* qui solet nocte tantum cantare: per quod notantur hi, qui in tenebroso tripudiant opere, & in suarum mentium exultant destructione. Did. Nyls. fer. 2. D. 4. Quadr. 5. 2.

*Et faciet omnes, pusillos, & magnos; & divites, & pauperes; & liberos, & servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Apoc. 13. 16. In manu imprimet characterem, ut homines faciat ad peccandum audaces; in frontibus, ut impudentes. Qui pudorem retinet, licet graviter delinquat, non desperet. S. Ambros. l. de parad. c. 4. adhuc in his remedium sanitatis est, qui audiunt Dei verbum. Deinde habent remedium; quia se absconderunt: erubescit, convertitur; sicut scriptum est. Pl. 6. 11. *convertantur, & erubescant valde velociter.* Mendoza in 1. Reg. 6. 2.

Verum est aperta desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. S. Greg. in 7. Pl. pœnit. Pl. 6.

## §. IX.

## §. IX.

**Peccatoris gloriatio de peccato, affinis priori.**

**Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?** Pl. 51. 3.

**Usquequò peccatores, Domine, usquequò peccatores gloriabuntur?** 93. 3.

Non misertus est illis, gentem totam perdens; & extolentem se in peccatis suis. Eccl. 16. 10. Quæres: cum totam gentem perdidit Deus; an aliquis ex ijs poenitens veniam peccatorum meruerit? an cum corpore simul animam perdidit? Communis est omnium opinio; omnes æternis poenis mancipatos. Vide Cornelium hic. Subita enim flamma illos corripuit, & obstupescit; ut nec sensum, nec tempus, haberent poenitendi. Secus accidit in diluvio: sensum enim, & lentè increpans, spatium dedit poenitendi. Ratio illorum: quia extollebant se in peccatis, quæ publicè, & glorianter, patrabant. Octavianus in Eccl. hic.

**Peccatum suum predicaverunt, nec absconderunt. Ve anima eorum! quoniam reddita sunt eis mala.** Il. 3. 9. Sed cur Prophetæ dicit, quoniam reddita sunt &c. qui enim minas intentat, mala futura aununtiat. Dicendum ergo esset, quia reddentur eis mala. Quia supplicium, quod scandalizantibus imminet, adeo certum est, & indubitatum; ut de eo non aliter loqui liceat, quam si executioni jam esset mandatum. Segneri l. 12. die Martis D. 2. Quadr.

**Tu ergo noli orare pro populo hoc.** Jer. 11. 14. S. Hieron. præcipitur Jeremiæ, ne velit pro eis Dominum deprecari, in quos est jam consummata sententia. Cur consummata? respondet ibidem Dominus: **nunquid carnes sanctæ &c. v. 15.** Nimirum sacrificia, & preces, frustra fiunt: non quidem propter malitias quasquæque; sed propter illas, utpote divinam iustitiam maximè irritantes; videlicet in quibus gloriata es. Fernandus in Gen. 10. sect. 6.

**Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?** Jer. 11. 15. q. d. frustra sunt victimæ; nec sufficiunt holocausta ad me placandum: Tollere illa quidem potuissent iniquitates tuas, meamque iram mitigare; si cum pudore, dolore, & lacrymis, ea fuisses detestata. Sed quia frontem meretricis induisti, & de injurijs meis gloriata es; nullum superest remedium, ò infelix civitas! sed certò lues excidiò. Id. ib.

**Elevatum est cor tuum in decore tuo.** Ezech. 28. 17. Si poenas dedit gigas, qui robur virium suarum superbe iactavit; Absolon, qui concinnam cæsariem ostentavit; Sennacherib, qui militum numerò, & potentia, intumuit; Aman, quem dignitas gradus inflavit, Antiochus, quem triumphus elevârunt. Herodes, qui eloquentiâ suâ evanuit; Nabuchodonosor ædificiorum mole fastuosus, Ezechias vanâ thesaurorum suorum gloriâ elatus: quodque magis mirandum, Phariseus ipse sibi

in jejunijs suis complacens. Quid de vobis statuetur? qui gloriæ vobis ducitis; obscenitates vestras, fraudes, mendacia, perjuria, & cætera vitia; quæ cum studiosè occultanda forent, ut opprobria; ea, velut res bene gestas, & magnifica, iactatis. Segneri antè cit.

**Balthasar rex fecit grande convivium.** &c. Dan. 5. 1. Vide §. præcedentem.

**Hac dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non convertam eum.** Amos 1. 3. Quærit S. Hieron. quod sit illud flagitium quartum, quòd indulgentiam Domini non admittat? & respondet: primum peccatum est, cogitasse, quæ mala sunt: secundum, cogitationibus acquiescisse perverfis; tertium, quod mente decreveris, opere complere: quartum, post peccatum non agere poenitentiam, & in suo sibi complacere delicto. Sed nonne Deus infinite misericors? quis benignitatis fontes obstruit? pervercia, impudentia, & in ipso scelere gloriatio. Non convertit Deus, nisi eum, cui exolum est crimen; non cui placet. Arcones in Il. 3. 9. Disc. 4.

Christi temporibus hypocrisis vigeat, præsertim in Phariseis; & ideo iure contra eam sapius agebat Christus. Sed nunc tanta multorum impudentia, ut de peccatis gloriantur, ea publicè perpetrent, ut peccatores habeantur. Laudant se de peccatis, quæ nunquam fecerunt. Incitandi modò homines, ut sint hypocritæ. Contenti suis, ut soli in Infernum vadatis. Stella in Luc. 12. 1.

## §. X.

**Peccator ex malitia peccans.****Ex Veteri.**

**Descendens in paradysum Deus protoparentes lapsos interrogat; si quid allegarent, unde poena infligenda minueretur.** Serpentem tamen Gen. 3. 14. in quem miseri totam culpam devolverant, nihil interrogat: quia, quid dæmon, ex mera malitia tentans, responderet, nunquam excusabilis, nunquam veniâ dignus, haberetur. Olearter hic. Ad serpentem nihil dicitur, nihil interrogatur: quoniam peccatum, quòd ex malitia procedit, nihil habet, quòd illud possit excusare. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 13.

**Maledicta terra in opere tuo.** Gen. 3. 17. Caino dicitur: **maledictus eris super terram.** Gen. 4. 11. Cur gravior Caini poena? quia, præmeditatus necem, fratrem duxit in agrum: **egyptiamur foras.** Eva à serpente decepta est, Adam ab Eva. Cain facinoris occasionem sibi excogitavit. Ergo severius puniendus. Naxera in Jos. 16. §. 12.

**Videns Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra.** Gen. 6. 5. Cajetan. describitur visa in voluntate hominum malitia; non imbecillitas, non passio: sed, quòd in voluntate pessimum est, malitia; nec ea parva, aut una; sed multa. Ut hinc intelligamus, homines usque adeo declinasse in malum, quòd

peccabant ex malitia; ac per hoc incorrigibiles erant. Fernandus hic.

*Percussit autem de viris Bethsaminibus.*

1. Reg. 6. 19. Non peccaverunt Bethsaminæ, quod vidissent Arcam testam, sed nudam: hoc enim tantum, & non illud, vetabatur: quia forsitan eam denudarunt, ut curiosius inspicerent: quod esse non potuit, nisi ex malitia, occasionem ad peccandum inquirentium. Mendoza hic.

*Et excogitatio consilio fecit duos vitulos aureos.* 3. Reg. 12. 28. Peccatum non ex ignorantia, non ex infirmitate, non ex repentina, & vehementi, passione; sed ex pleno consilio susceptum, gravissimum in sacris literis. Regem Jeroboam idololatram divina ultio gravius, quam ceteros reges, exagitavit. Hic enim & seipsum, & totum regnum Israel, Deo fecit exosum: quod proinde innumeris cladibus exposuit; ac tandem in extremum exitum; unde nunquam amplius revixit, precipitavit. Credo, quia idololatriam non ex ignorantia, non ex fragilitate, sed ex cogitatione consilio, commisit. Mendoza in 1. Reg. 5. 11.

*Excepto sermone Uria Hethai.* 3. Reg. 15. 5. Dicitur quod David: *fecisset rectum in oculo Domini, & declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto.* &c. hoc est, homicidiò. An plura peccata commisit? cum alienum thorum violavit. 2. Reg. 11. 4. populum recensuit. 2. Reg. 24. 2. contra Miphiboseth iniquam sententiam tulit. 2. Reg. 16. 4. Cur igitur unum tantum Uria homicidium illi vitio tribuitur, ac si à reliquis culpis facile absolvat? Theodoretus: David in alijs peccatis, non ex mali animi instituto, sed fortuito, & quòdam casu, vulnus acceperat: negligentia peccata erant, non malignitatis, ut homicidium. Peccatum verò ex consilio adeò erat grave, ut cætera præ illo, nulla viderentur. Hominem in culpam lapsus Deus ad poenitentiam revocavit; Angelum verò peccantem sine remedio perire passus est. Angelus ex consilio peccavit. If. 14. 13. *dicebas in corde tuo: homo ex præcipiti affectu in conjugem.* Id. ib.

#### Ex Novo, & Patribus.

*Va homini illi.* Matth. 26. 24. Prædicatur proditio Judæ, & negatio Petri: illi additur *va*, non huic, quia ex fragilitate, illius ex malitia. Sylveira hic.

*In hac nocte antequam Gallus cantet.* Matth. 26. 34. Orig. tr. 35. in Matth. notat, Petrum sub noctem Christum negasse. Nisi corticem abjicias, nihil mysterij verba continere videbuntur. Quid enim, si Petrus vel sub noctem, vel sub diem, deliquerit? Illi nocte dicuntur peccare, quibus adhuc veritatis lux non affulsit. Hic si peccaverit, facile surgit; hunc vel gallus excitat, Dominus respicit, mox subit poenitentia. Ille verò sub lucem dicitur peccare, qui, postquam aliquamdiu virtuti adhæsit, tandem ad vitia recidit. Pinna in Eccl. Ethol. 66.

*Manè autem factò consilium inierunt omnes principes Sacerdotum.* &c. Matth. 27. 1. Paulo ante Matthæus Petri negationem noctu factam præmisit. En tibi, quomodo utrumque peccatum conjunxit, noctu, & manè factum: alterum statim venia sequitur ad poenitentiam; alterum nunquam deletum est; quia datà operà factum. Orig. suprà: Christi quidem Discipuli in nocte scandalizantur, omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: qui autem consilium accipiunt contra Jesum manè factò, in lumine peccant, id est scientes. Id. ib.

*Exprobravit incredulitatem eorum.* Marci 16. 14. Non exprobravit eorum fugam in Passione: quia hæc erat fragilitatis; illa obduratò animò. Sylveira hic.

*Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. 34. Misericorditer ijs subvenit gratia Salvatoris; & omnis culpa est mitior: faciliusque meretur veniam, quæ ab ignorantia, quam quæ à malitia, sumit exordium. Sim. Cas. hic.

Tantò consensu omnes peccata sequimur, quasi summi consilij conspiratione peccemus. Salvianus l. 4. de Prov.

#### §. XI.

#### Peccantium malitiosè varij actus.

Num. 1.

#### Peccator excusat, tuetur, peccatum.

*Protegent umbrae umbram ejus.* Job. 40. 17. (scilicet Behemoth.) S. Gregor. l. 33. mor. c. 5. umbram umbræ ejus protegent, dum nequissimorum facta nequiores perverfis patrocinijs tuentur. Sed tales quique, tantò apertiores hostes Dei se exhibent, quantò majores sunt patroni vitiorum. Pinna Eth. 216. *Corpus illius quasi scuta sustilia, compactum squamis se prementibus.* Job. 41. 6. Corpus diaboli est congregatio malorum; quæ sunt occupationes ortæ à primo homine: quem cum Deus reprehenderet, se excusavit, dicens: *mulier, quam dedisti mihi* &c. Gen. 3. 12. Act. 9. 18. de S. Paulo dicitur; quòd in ejus conversione *cecidit ab oculis ejus tanquam squama, & visum recepit.* In quo significatur, culpam suam agnovisse, nec mala sua vanis excusationibus texisse. Ut pisces bene condiantur, prius squamis nudantur: sic oportet animas squamis excusationum mundari, quæ in poenitentia condiendæ sunt. Hinc rogabat David: *non declines cor meum in verba malitia; ad excusandas excusationes in peccatis.* Pf. 140. 4. Quot rationes inquit peccator, ut perpendit S. Bernardus, ad excusandum se! Primum dicit, non feci. Quòd si se convictum advertit dicit: feci; sed bene feci. Si verò malè fecisse convincitur, dicit: si multum malè feci, non feci malà intentione. Tandem se excusat: diabolus me decepit; ille homo mihi persuasit. Semper scuta quærit, quibus se defendit. Diez 2. p. Quadr. D. Septuag.

*Os eorum locutum est superbiam.* Pl. 16. 10. Bene dixit, tantum ore, non etiam corde, locuti sunt: quia sceleratorum mors est; illa frequenter sermone defendere, quae noscuntur conscientia teste damnare. Cassiodorus hic.

*Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Pl. 68. 16. Nullum in humano genere malum perniciosius est criminis, quam defensio pravitatis. Offensio quippe Dei meretur iram, excusatio provocat ad vindictam. Hoc sane praecavebat David vitium, cum dicebat: *non me demergat &c.* Nam, cum peccat homo, quasi in puteum labitur: cum vero peccata defendit, os putei super eum, ne pateat egressus urgetur. B. Petrus Dam. l. 1. ep. 18.

*Dabis eis scutum cordis.* Thr. 3. 65. Cum verba praedicationis audiunt, nulla correptionis jacula penetrare permittunt: quia in omni peccato, quod faciunt, scutum superbae defensionis, aut pravae negationis, sibi opponunt. Nam dum quis talium de reatu suae iniquitatis arguitur; non mox cogitat, quomodo culpam corrigat; sed quid in adiutorium suae opponat defensionis. Nulla igitur veritatis sagitta penetratur; quia verba sanctae correptionis in scuto excipit pravae defensionis. Hoc scutum primus homo tenuit: qui requisitus, cur lignum vetitum contigisset? non ad se culpam retulit, sed ad mulierem Gen. 3. 13. quam Dominus ei dederat: & reatum suum oblique ad authorem dati inique retorsit, quod ei mulierem dederat. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, neque ipsa ad se culpam inflexit; sed serpentis persuasionibus replicavit: volens & ipsa reatum suum in Creatorem inflectere; quod illic intrare serpentem, persuasurum talia, permisisset. S. Paschasius hic.

*Lavit manus.* Math. 27. 24. Christum morte condemnat, sententiam profert; & se innocentem in morte Christi dicit. Etiam Sacerdotes v. 4. innocentes esse volunt: *quid ad nos, tu videris.* Pretium obtulerunt, & solverunt proditori; accusant coram Pilato; cogunt, ut crucifigatur: & tamen adeo innocentes se indicant, ac si nihil deliquissent. Quis delinquentium se reputat innocentem, quia non commisit crimina omnium. Alvarez in Gen. 37. 22. Illustr. 62.

Num. 2.

**Peccator innocentem se dicit; affinis praecedenti.**

*Manusque vestras servate innoxias.* Gen. 37. 22. Haec Ruben, ut fratres a caede servaret. Sed audi Ruben: si Joseph fame oppressus in cisterna pereat, quomodo innoxii erunt fratres? Ea est impiorum fiducia; ut, qui minus saviunt, reputent innocentes; eo quod non sint atrociores. Alvarez. ante cit.

*Gratias tibi ago, quia non sum &c.* Luc. 18. 11. Quae fiducia se coram Deo innocentem jaclat, si tumet superbia? dum omnium hominum vitia in se uno non videt, omnibus carere asserit. Id. ib.

Num. 3.

**Peccat ob rem vilem.**

*Verè mendacium possederunt - vanitatem, quae eis non profuit.* Jer. 16. 19.

*Venatione ceperunt me, quasi avem inimici mei, gratis.* Thren. 3. 52. Loquitur in persona peccatoris, & erubescit, similem se fuisse avi, ab aucupe miserè decepta; & quod illic? *gratis.* unius milij grano inescata. Quid sunt terrena omnia, malo aeterno, quod peccando incurritis, nisi granum milij? Segneri f. 1, die Cinerum.

*Violabant me propter pugillum hordei & fragmen panis.* Ezech. 13. 19. Vide hoc titulo superius §. 4.

Num. 4.

**Delectatur peccato.**

*Bibit quasi aquam iniquitatem.* Job. 15. 16. Lyran: iniquitatem, sicut aquam, bibit, qui committit peccata absq; frano timoris: ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè; sed bibens aquam hoc non timet. *Quasi aquam &c.* id est, qui pro nihilo, & absque aliqua observatione, iniquitatem committit: qui enim bibit vinum, cum aliqua observatione bibit, ne inebrietur. S. Thom. Aqu. lect. 2. hic.

*Comedunt panem impietatis.* Prov. 4. 17. id est, impietate delectantur, & pascuntur quasi pane: *& vinum iniquitatis bibunt.* ib. id est, ita delectantur in iniquitate, sicut in vino. Hugo Card. hic. In actione scelerum iniqui quasi epulis delectantur. V. Beda hic.

Num. 5.

**Peccator praesumit.**

*Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, quam abscondisti timentibus te.* Pl. 30. 20. Orig. t. 1. in Ezech. notat, abscondi dulcedinem hanc non diligentibus, id est, perfectis viris, sed *timentibus*, id est, qui parum in virtute profecerunt. His utiliter absconditur; ne praesumptionem ingerat: & manifestatur iustitia; ut utiliter timeant. Parvuli, ait Origenes, non possunt cum emolumento suo discere, quod amentur à patre; ne dissolvantur, & despiciant bonitatem Dei. Pinna Ethol. 64.

*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Math. 20. 15. id est, quia ego punire homines differo, & peccantibus poenitentiae spatium concedo; tu me peccatis lacellis? Id. Ethol. 43.

*Et osculatus est eum.* Math. 26. 49. Theophylactus: cum sciret bonitatem Domini, audebat illum osculari. Ex summa bonitate arripuit audaciam: quia Iesus bonus, ille malus. Sylveira

hic. q. 7

Num.

Num. 6.

**Peccator docens peccare.**

*Beatus vir, qui non abiit &c.* Pf. 1. In processu malorum tria consideranda sunt. 1. deliberatio de peccato; & hoc in cognitione. 2. Consensus, & executio. 3. Introductio aliorum ad simile; & hoc est pessimum. S. Thom. Aqu. hic.

Homo occiditur in hominis voluptatem; & ut quis possit occidere, peritia est, usus est, ars est. Scelus non tantum geritur; sed & docetur. Quid potest inhumanius, quid acerbius, dici? S. Cyprianus Carth. ep. 2.

Num. 7.

**Peccator odit iuvare volentes.**

*Magna est velut mare contritio tua; quis medebitur tui?* Thr. 2. 13. Furentes fluctus, tempestate commotum mare, quis Neptunus audeat componere? accipiet pro mercede naufragium. Baeza t. 2. l. 7. c. 2. §. 2.

*Occurrerunt ei duo habentes demonia de monumentis exeuntes.* Matth. 8. 28. Summa miseria illius peccatoris, qui in eos exurgit, à quibus medela ei porrigebatur. A demonibus obsessi miseri homines, nudi, ab omnibus deserti, sine omni auxilio inter foetida sepulchrorum cadavera cubabant. Et quis illorum miseretur, dum omnes auxilij vias sibi praeludunt, in omnes transeuntes crudeles, & hostiliter saevientes. Quot etiamnum sunt tales demoniaci, homines peccatorum fetoribus incubantes, quasi aeternae jam morti deputati, qui feritate suâ eos persequuntur, à quibus medelam deberent sperare. Baeza ib.

Num. 8.

**Peccator delinquit admonitus.**

*Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam, & amputabo caput ejus. Et ait rex - dimitte eum &c.* 2. Reg. 16. 9. 10. Non habet veniae locum, qui delinquit admonitus. Cassiodorus 4. var. 29. Semei graviter injurianti à Davide parcitur; non item dum 3. Reg. 2. 46. monitus non egredi ex urbe, egressus est. Naxera in Jos. c. 22. §. 21.

Num. 9.

**Peccator solatia querit.**

Resurrectionis dogma laedit vitæ improbitas, dilacerat immortalitatem animarum, & iudicium, & multa alia: inducit fatum, necessitatem, negationem providentiae. Anima enim multis malis immerfa has sibi consolationes excogitare attentat; ut nè, cogitans esse iudicium, contristetur; & situm esse in nobis, facere malum, aut facere bonum, neget. S. Chrysof. hom. 7. in Acta.

Qui sibi conscij sunt turpissimarum actio- num, quibus graves poenas meriti sunt; odio iudicij tollunt Resurrectionem; & pro eo, quod cupiunt, varias cogitationes sibi fingunt. S. Greg. Naz. or. 3. de Resurr.

Nonnulli aeternitatem poenarum Inferni negant; ut suis perditis moribus hanc pollicerentur impunitatem. S. Aug. de Civ. l. 21. c. 18.

§. XII.

**Peccator palliat mala specie boni.****Ex Veteri.**

*Utr praecepit vobis Deus, ut non comederetis?* Gen. 3. 1. Curatoris ad speciem studia imitatur, cum osoris animum gerat. S. Basil. Seleuc. or. 3. humanitatem simulat, cum ad eadem accurrat; & commiserationis obtentu conatur servum cum Domino committere. Evæ, ad speciem, cupit divinitatem; sed querit imperium sibi. Naxera in Jos. 4. §. 24.

*Egrediamur foras.* Gen. 4. 8. in agrum. Quâ causâ? animi, & recreationis, & colloquij fraterni, gratiâ. Marchantius D. 7. Pent.

*Nosti Domine mi, quod parvulos habeam teneros &c.* Gen. 33. 13. Parvulorum causam videtur agere, & tardare gressus: non sui commodi studio, sed alienae salutis desiderio. Sed patet, sibi consultuisse. Cur non ait? vides, quod claudicem. O quam nostros defectus legimus! & ignoramus, quam aliorum, etiam occultos, scimus. Parvulorum imbecillitatis colore sibi indulget, & specie charitatis laborem celeritatis refugit. Cajetan. claudicabat enim; & propterea moderandum censuit iter ad commodum proprium; & non solum ad commodum gregis, & filiorum. Naxera in Jos. 4. §. 24.

*Non possumus facere, quod petitis; nec dare sororem nostram homini incircumciso.* Gen. 34. 14. Corripit hypocrisis in domo Jacob Patriarchas; & ex his cum diligit, qui Levitarum propagando generi destinatur: nec uni necem intentat; sed urbis excidium molitur. Non hic jejunit hypocrisis; sed sacrificat, ut saeviat. Nihil in illo fidei rudimento apud Patriarchas sanctius circumcissione. Et eâ potissimum abuti audet hypocrisis in libidines suas. Mactentur adulteri; sed telò, non cultrò; Caini gladiò, non Abrahæ. Oliva fer. 4. D. 3. Quadr.

*Filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, armati precedebant filios Israel.* Jos. 4. 12. Putares, exercitùs occupasse frontem, ut fratrum vitæ, & salutis, etiam proprio detrimentò confulerent. Moysen orant, ut uberrimam ante Jordanem regionem illis in hereditatem largiatur; utque votis annuat, promittunt Num. 32. 17. *nos ipsi armati, & accincti, pergemus ad praelium ante filios Israel; donec introducamus vos ad loca sua.* Naxera hic. §. 24.

Peper-

*percipit populus melioribus.* 1. Reg. 15. 15. Et cur? ut immolarentur Deo. Personata virtus est, quae sordidam obtegit avaritiam honesto velo Religionis. Velloso in Judith. 1. 12.

*Saul fecit eum (David) tribunum super mille viros.* 1. Reg. 18. 13. addit animos v. 17. *esto vir fortis; & praeliare bella Domini.* Honestum sanè pallium odij, quò v. 11. *putans, quòd configere possit David.* Sed quia propudium erat, premi a rege infontem militem; tribunatu donat, ut scelus tegat. Dicebat enim v. 17. *sit super eum manus Philistinorum.* Velloso in Judith. 2. 3.

*Congrega reliquam partem populi.* 2. Reg. 12. 28. Ita Joab, urbe Rabath obsessa, regem Davidem monet, civitatem obsideat; quò omnis illi victoriae gloria adscribatur. Quid ad speciem modestius? Joab de triumpho plausu nil sibi adscribi velle videtur; sed omnem in David victoriae gloriam transferri. Sed audi Carthusianum hic: hoc Joab denunciavit ex quadam versutia, adulatione, & ambitione: quia ambitiosus erat; & regi complacere desiderans, gratiam ejus captavit; ut in suo firmaretur officio. Naxera in Jos. 4. §. 24.

*Quis me constituat Judicem super terram?* 2. Reg. 15. 4. Studium, & animum subveniendi Reipublicae ostendebat: at verò inaudità quòdam regni cupiditate conflagrabat. Paoletti D. 17. Pent.

*Predicant jejunium.* 3. Reg. 21. 9. Hujus tenoris Jezabel expedit literas, cum Achab vineam Naboth obtinere non posset. Rupertus: quantum fuit in caelo spectaculum, dum tam crudelem cruorem sitiendo callidi simulatores praedicarent jejunium. Paoletti Dom. 17. Pent.

*Furavit, - quòd defenderet se.* Judith. 1. 12. Injuriam tegit honestò nomine defensionis. Velloso hic.

*Virum sanguinum, & dolosum, abominabitur Dominus.* Pl. 5. 7. S. Basilii M. truculentum dicit eum, qui, praetextu aequitatis, internam malitiam celat. apud Did. Nifs. fer. 2. D. Palm. §. 5.

### Ex Novo.

#### Pallium malitiae Judaeorum.

*Dicebant autem: non in die festo.* Matth. 26. 5. Statuerunt id, non ob festi religionem, sed populi metum. S. Hieron. non student devotioni, sed facinori. Theophylactus: non timebant Deum, sed plebem. Sylveira hic.

*Ut eum morti traderent.* Matth. 27. 1. Inquirebant testimonia, ut zelo justitiae puniretur, quem ipsi zelo invidiae sectabantur; & justitiae velamentò invidiam, & animi crudelitatem, palliare tentabat. Sim. Cas. 1. 13. hic.

*Non licet eos mittere in carbonam.* Matth. 27. 6. Notant S. Hieron. & Paschas. Sacerdotum hypocrisis: fidei religionis studio timent mittere illam pecuniam in commune oblationum ararium; & audacter summum omnium nefas devorabant, Filium Dei occidentes. Sylveira hic.

*Poliant. Sacr. Tom. II.*

*In sepulturam peregrinorum.* Matth. 27. 7. Hoc fecerunt, misericordiam simulantes; sed, secundum Hieronymum, eorum intentio fuit, Christum diffamare: quatenus ex occasione illius agri, & sepulturae, semper maneret memoria venditionis, atque turpissimae mortis Christi. Sed divinà ordinatione hoc factum est ad memoriam impiae venditionis, & justae ultionis Judae; ac innocentis traditionis, Passionisque Christi. Dion. Carthuf. hic.

*Ut non remaneret in cruce.* Joan. 19. 31. Pessima superstitio Judaeorum; qui opinabantur contaminari diem Sabbathum, si starent in patibulo corpora damnatorum: sed contaminationem mentis suae non videbant, qui Christum injustè damnaverant. Sed ipsi allegabant Praesidi reverentiam Sabbathi: corde tamen magnà malitià tenebantur; nè propter signa facta Christo moriente, in Sabbathi quiete tumultus in populo nasceretur; & ex viso in cruce corpore turba facilè mobilis moveretur: & praecavebant ad illud corpus reverentiam fieri propter signa terrentia. Sim. Cas. 1. 13. hic.

### Judae.

*Quid vultis mihi dare?* Matth. 26. 15. Cajetanus hic. Rationi consentaneum est, ut Judas se scandalizatum dixerit de Magistro suo: & quòd hactenus putaverit ipsum esse spiritualem virum; sed quòd nunc perdidit bonam famam de illo: quia videt illum in tanta sensualitate; quòd unguentò pretiosissimo muliebribus manibus usus est, non solum in capite, sed etiam in pedibus. Naturale siquidem est hominibus, sub aliquo colore palliare factum iniquitatis propriae; & praecipue talis; scilicet offerendo proditionem proprii Magistri. Sylveira hic. q. 8.

*Quare hoc unguentum non veniit trecentis denarijs, & datum est egenis?* Joan. 12. 5. Si unguentum effundatur, honoratur Magister; sed aliquid lucris Judas amittit, Theophylactus ad Marci 14. adversus mulierem indignabatur, propter avaritiam, & turpe lucrum. Naxera in Jos. 9. §. 24. Avarus misericordiae viscera in pauperes fingit; ovinà veste se contegit lupus: cordis rabiem ex lucris occasione amissa zelo exteriori charitatis vestivit. Unguentum, ô miser! trecentis aestimas denarijs; & Magistrum triginta tradis argenteis? Escobar t. 2. Perf. Chr. 1. 10. sect. 2. Nunquam virtus magis laceffitur, quam cum suis armis oppugnatur. Ut suam avaritiam sordidus Judas palliaret, causam pauperum praetexit. Non invenit, quòd melius illam religiosam pie mulieris actionem oppugnaret; quam alterius mentitae virtutis fucato colore. Did. Nifs. fer. 2. D. Palm. §. 5.

*Sed quia fur erat.* Joan. 12. 6. Rupertus: furtum inferebat honestò nomine; id est, egenorum palliavit curam. Sylveira hic. tom. 5. 1. 7. c.

### Herodis, & Caiphae.

*Ite, & interrogate diligenter de puero.* Matth. 2. 8. Glossa hic: Herodes devotionem

D d d

pro-

promittit, sed gladium acuit: malitiam depingens colore humilitatis, finxit se vultu, & verbis, adorare eum, quem invidiâ mente cogitabat occidere. Eccl. 19. 23. est, qui nequiter humiliat, se, & interiora ejus plena sunt dolô.

*Cum inveneritis, renuntiate mihi.* ib. Sacrificare cupit; sed infantem, non infanti. Unam advocat hypocrisim Herodes, ut Christum occidat; rarus reliquorum scelerum futurum irridat apparatus. Oliva fer. 4. Dom. 3. Quadr.

*Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo.* Joan. 11. 50. Cajet. palliatur iudicium specie communis boni præponendi bono particulari; nullâ factâ mentione de justitia, deque innocentia. Nihil iniquius, nihil lethale magis Reipublicæ, aut communi bono, quod simulat; quàm sub prætextu, aut simulatione justitiæ, uti potestate ad affectus animi explendos: sicut Caiphas boni prætextu usus potestate ad Christum de medio tollendum, propter invidiæ propriæ facietatem. Escobar t. 2. Perf. Chr. l. 9. sect. 2. obs. 5.

#### Aliorum.

*Absit à te Domine: non erit tibi hoc.* Matth. 16. 22. S. Chrysost. hom. de negat Petri: ut Jerusalem non ascenderet, orabat: quòd Judæorum minas non ferret. Miserationis larvâ ignaviam suam textit: benevolentiam simulavit esse; quod timor erat. Et ita benefactori suo tum præsentibus satisfecisse, & officij partes explevisse, putavit; cum suum metum celavit. Didacus Nissenus Pol. cæl. p. l. l. 8. c. 8.

*Quid facitis, quod non licet in Sabbatis?* Luc. 6. 3. Hi Pharisei sub fuce, & zelo observantiæ legis, suam tegunt malitiam, & invidiam. Stella hic.

*Rogo te Pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei.* Luc. 16. 27. Semel pro se, bis pro fratribus, supplicat. Putares, non tam gravi flammæ incendio, quàm zelo alienæ salutis aduri. Sed audi Cajetanum: non proveniunt ista preces ex bono affectu ad salutem fratrum. Quoniam damnati habent voluntatem firmatam ad malum; sed proveniunt ex affectu superbiæ. Videbat enim divites multos salvari; & propterea appetebat suos fratres evadere miseriam: ut vel sic in suis fratribus exalteretur. Naxera in Jos. 4. §. 24.

*Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. 4. Nõnne alij quoque tunc Christum persequerentur? inquit Chrysostomus; cur ergo tota in Saulum congeritur injuria? quasi is unus, solusque, Christum perat? Respondet Chry-

sof. mediò zelo vehebatur, nondum satiatus cæde Stephani. q. d. quòd Christus suas, suorumque injurias, præcipuè in Saulum referebat, causa erat; quia ille zelo virtutis, ut videbatur, ad inferendum exitium virtuti, invehebatur; hoc verò est, quod Christum ægrè habebat. Did. Niss. fer. 2. D. Palm. §. 5.

Cum mala sit omnis malignitas; pessima tamen est hujusmodi mala species; quæ sub specie sanctitatis suæ exercet injurias: sæpe enim quando sævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel venenò invidiæ; fingit sibi cogitatio, quòd faciat illud pro zelo justitiæ. Richardus à S. Viçt. in Pf. 25.

#### Peccatores scrupulosi in parvis, non verò magnis.

Vide tomo I. C. tit. 27. Conscientia. §. 4.

§. XIII.

#### Miscellanea.

*Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.* Gen. 19. 1. Ipsum tempus, vel hora, visitationis tristissimæ, peccatorum causæ congruit. Abraham meridie visitatus est. Rupertus l. 6. c. 6. in Gen.

*Non resurgent impij in iudicio.* Pf. 1. 5. Non dixit, non resurgent impij, sed iudicium non resurgent; verum in condemnationem: neque enim redargutionibus indigent, cum eorum impietas manifesta sit; sed supplicium solum expectant. Quemadmodum enim homicidas in flagranti crimine captos, non ut redarguantur, iudices in iudicium trahunt; sed ut sententiam legibus congruentem contra illos pronuntient; eodem modo etiam, qui impietati assuevere, statim post resurrectionem penam sustinent; non in iudicium adducti, sed ut iudicij sententiam accipiant. B. Theodoretus hic.

*Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Pf. 5. 7. Non dixit, qui operati sunt: quia tantum in iudicio damnabuntur, qui usque ad finem vitæ suæ crimine se nefando commaculant. Cassiodorus hic.

Tu ò dilecte, quando in aliqua fueris calamitate, nè dicas: Deus mei oblitus est; sed quando fueris in peccatis, & omnia tibi feliciter succedunt. S. Chrysost. in Pf. 12.

Innumeros dies desunt homines familiarium obitus, pecuniarum damnus: quòd autem animam singulis diebus amittamus, nè cogitamus quidem. Idem hom. 8. in I. Corinth. 2.